

cili incautos intricare errori. Illi scilicet, ab imperfectiori paulatim termino, ad aliquid minus perfectum, in personali subsumendum mysterio, levi quidem, proclivi tamen delaberentur sequela. Nostra ergo tutissima sententia, hoc evidenti, substructa effulsaque stat argumento: Quicumque terminus, in suam abstractam naturam aliquam involvit imperfectionem, ille, minime, perfectissimæ tribuendus Trinitati. Principiati notio, aliquam DEO minime convenientem connotat posterioritatem (conf. imprimis *Svarez. Dissut. XII. Sect. I.*) Divinæ proinde origini applicanda erit minime.

§. XXIX.

Neque vero, nostræ huic prolatae thesi, Summulistica definitionis adversatur hypothesis. Licet enim hæc ipsa, præter declarationem definiti perspicuam, utriusque conversionem æque supponat latam; generaliori tamen huic canoni, tyrannus verborum malignus, obicem ponit usus. Infringitur regulæ universalitas, ubi infensa vocis, illi sese opponit malignitas: Quæ scilicet malè semel notata, nunquam non agnitam & agnatam, exprimit simul & exferit malignam indolem. Prostant omnem in partem, malignitatis ejusdem, nec adeo pauca, nec valde obscura exempla. Liquidum, & in malignis memorabile documentum, suppeditat illa, quæ per accidens dicitur causa. Tametsi enim hæc ipsa, quoad definitionem, DEO, rerum Autori æque omnium ac actori, in sano tribui sensu possit: definitum tamen, cum auditu pariter dictuque formidolosam foveat maculam, infinitam omnino dissimilitudine, à bonitate recedit divinam. Neque adeo rara etiam alia, obvia sunt categoremata, quæ per desultatoriam vicissitudinem, in fœdum à veteri transiére usum. Sufficiet in præsentia, vel tyranni solius, vel Latronis, notissimam subjecisse notionem; Quarum utraqve infamiam publicam pedetentim notata, perennem nominis olim non ingloriosi, fecere jacturam: Etenim, anceps latronis terminus, cum olim, perhibente in Lexico Brissonio, Principi non minus servientem, quam Patriam servantem denominaverit Satellitem; eò hactenus progressus infamiae, ut ex confirmatâ nunc consuetudine, mancipium extremæ denotet nequitiæ. Sicuti & tyranni invisio infestoque titulo, non ut antea quidem, etiam bonus & legitimus, sed facinorosus tantum & maleficus, hodie insigniri Princeps solet

let